

rita credite; in eo vero cujus miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter et indubitanter agnoscite. Nec ideo auferatis a Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit Deus, *Ego induravi Pharaonem*; vel, *induravi*, aut *indurabo cor Pharaonis* (*Exod. xv-xiv, passim*). Non enim propterea ipse Pharaon non induravit cor suum. Nam et hoc de illo legitur, quando ablata est ab Ægyptiis cynomyia, dicente Scriptura: *Et ingravit Pharaon cor suum et in isto tempore, et noluit dimittere populum* (*Id. viii, 32*). Ac per hoc et Deus induravit per justum iudicium, et ipse Pharaon per liberum arbitrium. Certi ergo estote quia non erit inanis labor vester, si in bono proposito proficientes perseveretis usque in finem. Deus enim qui modo illis quos liberat non reddit secundum opera eorum, tunc reddet unicuique secundum opera ejus (*Matth. xvi, 27*). Reddet omnino Deus et mala pro malis, quoniam justus est; et bona pro malis, quoniam bonus est; et bona pro bonis, quoniam bonus et justus est; tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam injustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro injustitia; et reddet bona pro malis, gratiam pro injustitia; et reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

CAPUT XXIV. — 46. Repetite assidue librum istum, et si intelligitis, Deo gratias agite: ubi autem

non intelligitis, orate ut intelligatis: dabit enim vobis Dominus intellectum. Memento: scriptum esse: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter et non improperat, et dabitur ei* (*Jacobi i, 5*). Ipsa est sapientia desursum descendens, sicut ipse apostolus Jacobus dicit. Illam vero sapientiam repellite a vobis, et orate ut non sit in vobis, quam det status est, ubi ait: *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones in vobis sunt, non est ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio est, ibi inconstantia et omne opus pravam. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, plena misericordia et fructibus bonis, inestimabilis, sine simulatione* (*Id. iii, 14-17*). Quid boni ergo non habebit, qui hanc sapientiam postularit et impetrarit a Domino? Et hinc intelligite gratiam; quia si ex nobis esset ista sapientia, desursum non esset, nec ab ipso qui nos creavit Deo postulanda esset. Fratres, orate et pro nobis, ut temperanter et pie et juste vivamus in hoc sæculo, expectantes illam beatam spem, et manifestationem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi (*Tit. ii, 12, 13*), cui est honor et gloria et regnum cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

## IN LIBRUM SUBSEQUENTEM

*Vide lib. 2, cap. ult., Retractationum, tom. 1, col. 656, a verbis, Rursus ad eosdem (a), usque ad verba, Valentine frater dilectissime.*

(a) Valentini scilicet cumque illos monachos Adrumetinum cœnobium incolentes. Vide supra, col. 873-874, not. (a). Prosper Augustino scribens ait, « librum de Correctione et Gratia plenum divinæ auctoritatis » opportune tunc emissum esse et in Gallorum notitiam delatum: « quia universis quæstionibus » ad divinæ gratiæ mysterium pertinentibus, de quibus consulendus » ab iis « erat » sanctus Doctor, « plene illic absoluteque responsum est; » eosque « recensito libro, qui sanctam atque apostolicam doctrinam, » inquit, « tuæ auctoritatem antea sequebantur, intelligentiores multo instructioresque sunt facti. » Universam divinæ gratiæ œconomiam oculis subjicit idem Liber, ut loquitur historiæ Pelagianæ scriptor claris. Norisius, qui eum appellat *clavem, qua ad universam Augustini de divina gratia et libero arbitrio doctrinam aditus aperitur.*

## VALENTINI AD AUGUSTINUM

POST LIBRUM DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO

ET SUPERIORES EJUS LITTERAS RESCRIBENTIS,

EPISTOLA, INTER AUGUSTINIANAS CCXVI.

Domino vere sancto, ac nobis venerabiliter super omnia præferendo, et pia exultatione colendo, beatissimo papæ AUGUSTINO, VALENTINUS servus tuæ Sanctitatis, et omnis congregatio quæ tuis orationibus mecum sperat, in Domino salutem.

1. Venerabilia scripta, et librum tuæ Sanctitatis ita tremebundo corde suscepimus, ut sicut beatus Elias cum in speluncæ limine staret, faciem suam gloria Domini transeunte velavit; ita nos objugatos oculos teximus, quia per rusticitatem fratrum nostrorum nostro iudicio erubuimus, quorum inordinata profectio tuam metuimus (a) Beatitudinem salutare; quia tempus loquendi, et tempus tacendi, ne dum per dubitantes et de veritate fluctuantes scriberemus, de dictis sapientiæ tuæ, quæ est sicut angeli Dei, dubitare cum dubitantibus videremur. Non enim erat nobis necessarium interrogare de Beatitudine, et de sapientia tua, quæ est nobis nota per Domini gratiam. Nam ad librum dulcissimæ (b) Sanctitatis tuæ ita sumus alacriter jucundati, ut sicut Apostoli Dominum post resurrectionem prandentem secum non audebant interrogare quis esset; sciebant enim quia Jesus est (*Joan. xxi, 12*): ita et nos nec volumus, nec ausi sumus interrogare de libro, utrum tuæ Sanctitatis esset: cum ipsa fidelium gratia quæ in eo liberaliter commendatur, nobis tuum esse, domine sancte papa, eloquiis vivacissimis contestetur.

(a) Legebatur antea tom. 2, *meridians*: non recte, nisi verbo præligatur particula negans. Sequimur huc antiquissimum Corbeiense exemplar, in quo epistola cum superiore Augustini libro conjungitur.

(b) Alias, *dulcissimam*.

2. Incipiamus autem, domine beatissime papa, ipsius ordinem perturbationis exponere. Charissimus frater noster Florus, servus Paternitatis tuæ, cum ad Uzalensem patriam fuisset suadente charitate profectus, eulogias monasterio <sup>1</sup> inter ipsas suæ civitatis moras de opusculis nobis tuæ attulit Sanctitatis, uno fratre Felice, qui ad tuam Sanctitatem tarde post comites suos venisse dignoscitur, eundem librum (a) devote dictante; ventum est ad monasterium cum eodem libello, fratre Floro ad Carthaginem de Uzalensi civitate profecto. Mihi non monstrato libro, imperitis fratribus recitare cœperunt: qui quorundam non intelligentium corda commovit; quia et cum diceret Dominus, *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, neque biberit sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso* (Joan. vi, 54), discesserunt qui impie intellexerunt, non culpa Domini dicentis, sed duritia impiissimi cordis.

3. Cœperunt memorati fratres, qui omnia subverterunt, innocentum animas commovere, mea parvitate penitus ignorante, in tantum conventus illorum murmurantis <sup>2</sup> nescii, ut nisi frater Florus de Carthagine repedans, et eorum perturbationes <sup>3</sup> agnoscens mihi sollicite nuntiasset, furtiva et tanquam servilis erat inter eos de non intelligenda veritate contentio. Proposui, ad auferendas impias quæstiones, ut ad domnum <sup>4</sup> sanctum patrem Evodium mitteremus, et ipse nobis de hoc sacrosancto libro propter ignaros aliquid certius rescripsisset (a). Nec hoc accipere patientius voluerunt, sed arripuerunt profectionem nobis taliter non optatam: fratre Floro furore illorum propemodum conturbato, in quem sæviebant, quia ipse illis, ut putabant, vulnera libri hujus attulisset; in quo medicinam non poterant infirmi cognoscere. Unde et sanctum presbyterum Sabinum ad majorem auctoritatem rogavimus, et ipsius Sanctitas librum cum liquidis interpretationibus legit; nec sic anima sauciata curata est. Quibus propter ipsam pietatem sumptus dedimus, ne vulnera ipsorum cumularemus, quæ posset sanare libri ipsius gratia, in qua refulget tua sancta præsentia. Quibus profectis, quies et pax per omnes fratres exsultavit in Domino. Quinque enim vel amplius fratrum animositate ista est innata contentio.

4. Sed quia interdum, domine papa, provenit gaudium ex tristitia, non adeo mœstificamur, quia per ignaros et curiosos suavissimis monitionibus tuæ Sanctitatis illuminari meruimus. Nam et dubitatio beati Thomæ apostoli foramina clavorum quærentis (Joan. xx, 25) confirmatio fuit Ecclesiæ universalis. Accepimus igitur, domine papa, medicamentum pie curantium tuarum cum gratia litterarum, et contudimus pectora nostra; ut sic saltem sanetur conscientia nostra, quam per liberum arbitrium nostrum, quod donat misericordia, curat et vivificat gratia: sed in hoc tempore, quando adhuc misericordiam cum dilatione cantamus. Nam cum cœperimus judicium cantare Domino, reportaturi sumus mercedem pro opere nostro, quia misericors et justus Dominus, miserator et rectus (Psal. cxi, 4). Quia, sicut docet nos Sanctitas tua, representari nos oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque nostrum propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum (II Cor. v, 10): quia veniet Dominus, et merces ejus cum ipso (Isai. xl, 10): quia stabit homo, et opus ejus ante ipsum: quia veniet Dominus sicut clibanus ardens, ut incendat impios tanquam stipulam (Joel ii, 3, 5), et timentibus nomen Domini oriatur sol justitiæ, quando impii punientur judicio justitiæ (Malach. iv, 1-3). Hoc justus, cujus tu amicus es, domine papa, exclamat, contremiscit, et suppliciter dicit: *Domine, ne intres in judicium cum servo tuo* (Psal. cxlii, 2). Si gratia esset remunerantis, non timeret justus secretarium judicium majestatis. Servi tui Flori hæc fides est, pater, non sicut fratres isti sunt locuti. In præsentiarum audierunt ab illo dictum, non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemptoris: nam de illo die, quis dubitet longe esse gratiam, cum cœperit irasci justitia? Hoc clamamus, pater; hoc te docente canimus, non securi, sed trepidi: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me* (Psal. vi, 2). Hoc dicimus: *Emenda nos, Domine, et de lege tua erudi nos ut mitiges nos a diebus malis* (Psal. xciii, 12, 13). Hoc credimus, docente te, venerabilis pater, quia Dominus interrogat justum et impium, quia a dextris et a sinistris positus bonis et malis imputat remuneranda opera pietatis, enumerat puniendam tenacitatem impietatis. Ubi erit gratia, quando pro sui qualitate dispungentur opera, sive bona, sive mala?

5. Sed cur non directum non timet proferri <sup>5</sup> mendacium? Liberum arbitrium Dei gratia curatum non negamus: sed per Christi quotidianam gratiam proficere credimus, et adjuvari confidimus. Quid homines dicunt, In mea est potestate, ut faciam bonum? si tamen facerent homines bonum. O inanis gloriatio miserorum! quotidie peccata arguunt, et ipsi sibi assumunt nudum liberum jactantes arbitrium; non discutientes conscientiam suam, quæ non potest curari nisi per gratiam, ut dicerent: *Miserere mei, sana animam meam, quia*

<sup>1</sup> Al., *monasterii*. — <sup>2</sup> Corb. Ms., *murmurantes*. — <sup>3</sup> Al., *repetitas eorum perturbationes*. — <sup>4</sup> Al., *dominum*.

<sup>5</sup> Corbeiensis Ms., *Sed cor..... proferre*.

(a) Librum seu epistolam 194, ad Sixtum.

(b) Rescripsit sane Evodius, ejusque super hac ipsa re ad Valentinum epistola in codice S. Maximi Treverensis reperta est a Jacobo Sirmondo, qui inde fragmentum istud in Prædestiniana Historia, cap. 4, transtulit: « Honorabiles fratres retulerunt nobis quia nescio quæ ibi quæstiones inter vos natæ sunt de libero arbitrio et de justitia Dei. Laudamus quidem studium vestrum, sed nolui plus esse contentiosum. Contentio enim perturbationem excitat, sed studium pietatem requirit. Liberi arbitrii lenissimum affectum habuit homo primo procreatus, Adam dico. Sed ubi sauciatus est ipsum liberum arbitrium, infirmatum est. Ergo est in homine nunc liberum arbitrium, sed sauciatus. Inde dictum est, *Infirmitas est in egestate vigor meus, et lumen oculorum meorum non es mecum* (Psal. xxx, 11, et xxxvii, 11). Ad hoc recuperandum missus est medicus salvator Christus, ut salvaret quod perierat, et curaret quod vitiatum fuerat. » Et post alia: « Legant ergo sancti Dei majorum dicta, sicut jam dixi, qui habent divini muneris pium affectum; et quando non intelligunt, non cito reprehendant, sed orent ut intelligant. »

peccavi tibi (Psal. xl, 5). Quid facerent, qui de libero sibi gloriantur arbitrio (quod non negatur, cum Dei duntaxat adjutorio), si jam absorpta fuisset mors in victoria, si jam mortale nostrum induerit immortalitatem, et corruptibile nostrum induerit incorruptionem (I Cor. xv, 53, 54)? Ecce fetent vulnera, et superbo petitur medicina. Non dicunt sicut justus, *Nisi Dominus adjuvisset me, paulo minus habitasset in inferno anima mea* (Psal. xciii, 17). Non dicunt sicut sanctus, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilavit qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 1).

6. Sed ora, piissime pater, ut jam non curam geramus, nisi pro peccato nostro lacrymis expiando, et Dei gratia commendanda. Ora, domine pater, ut non urgeat super nos puteus os suum (Psal. lxxviii, 16), ut salvemur a descendentibus in lacum (Psal. xxix, 4), ut non pereat cum impiis anima nostra (Psal. xxv, 9) per superbiam nostram, sed sanetur per Domini gratiam. Sicut ergo praecepisti, domine papa, frater noster Florus, servus Sanctitatis tuae, omni alacritate perrexit, cui non impedit, sed proficit fatigatio, ut accedat ei dilucidata cordis instructio; quem tuae Sanctimoniae suppliciter commendamus, pariterque deposcimus, ut et ignaros tuis orationibus Domino commendes mansuetissime componendos. Ora, domine et dulcissime pater, ut fugiat diabolus de congregatione nostra, et amota omni alienarum questionum procella, navis propositi nostri epibatis(a) quietis onusta intra stationem tutissimi portus secure consistat, dum navigat per hoc mare magnum et immensum, et in illo portu, intra quem jam non erit metuendum vitae navigium, mercium indiscrepans accipiat pretium placitarum. Hoc tuae Sanctitatis impetraturos nos confidimus adjutorio, per gratiam quae est in Christo Jesu Domino nostro. Omnes filios apostolatus tui domnos nostros clericos, ac sanctos in congregatione propositi servientes deprecamur ut digneris nostro officio salutare, ut cum tua Beatitudine omnes pro nobis orare dignentur. Indiscrepans Trinitas Domini Dei nostri apostolatum tuum, quem elegit per gratiam, conservet nobis in Ecclesia sua, et nostri memorem coronet in Ecclesia magna, quod optamus, domino. Si quid autem famulus tuae Sanctitatis frater suggesserit Florus, pro regula monasterii, digneris, pater, petimus, libenter accipere, et per omnia nos infirmos instruere.

(a) Epibatai dicuntur milites classarii, qui in navibus merentur.

## S. AURELI AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE

# CORREPTIONE ET GRATIA

AD EUMDEM VALENTINUM ET CUM ILLO MONACHOS ADRUMETINOS

Liber unus (a).

Principio dicit quænam sit catholica fides de lege, de libero arbitrio et de gratia. Gratiam Dei per Jesum Christum eam esse docet, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus faciunt bonum, non solum monstrante ipsa quid faciendum sit, sed etiam præstante ipsa ut id cum dilectione faciant, cum iis Deus inspirationem bonæ voluntatis atque operis largiatur. Correctionem hominum malorum, qui hanc gratiam non acceperunt, nec injustam esse, cum sua voluntate mali sint; nec inutilem, tametsi fatendum est non nisi per Deum fieri ut prosit. Perseverantiam in bono magnum revera esse Dei munus: nec tamen ideo ejus qui non perseveraverit, negligendam esse correptionem; et qui non accepto hoc dono fuerit sua voluntate relapsus in peccatum, eum non correptione tantum, sed si usque ad mortem in malo permanserit, etiam æterna damnatione dignum esse. Cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, esse inscrutabile. Ex prædestinatis nullum perire posse: ac subinde perseverantiam, quam non omnes accipiunt qui hic filii Dei appellantur, iis omnibus dari qui vere filii sunt præscientia et prædestinatione Dei. Respondet ad quætionem quæ de Adamo se offert, quomodo ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit. Ostendit tale primum ipsi datum esse adjutorium, sine quo non posset in bono permanere si vellet, non quo fieret ut vellet: nunc vero per Christum dari, non solum sine quo permanere in bono non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale, quo fiat ut velimus. Prædestinatorum, quibus proprium est hujusmodi donum, probat certum esse numerum neque augendum, neque minuendum; et cum ignotum sit quis ad eum numerum pertineat, quis non pertineat, medicinalem correptionem adhibendam esse omnibus peccantibus, ne vel ipsi pereant vel alios perdant. Concludit demum, nec gratia prohiberi correptionem, nec correptione negari gratiam.

CAPUT PRIMUM. — 1. Lectis litteris vestris, Valentine frater dilectissime, et qui simul servitis Deo, quas per fratrem Florum, et eos qui cum illo ad nos venerunt, misit Charitas vestra, egi Deo gra-

tias, quod vestram in Domino pacem, et in veritate consensionem, et in charitate flagrantiam vestro nobis reddito sermone cognovi. Quod autem ad subversionem quorundam apud vos molitus est inimicus,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Liber de Correptione et Gratia ad eosdem codices cum libro de Gratia et Libero Arbitrio, quos supra memoravimus, col. 881-882, collatus et emendatus fuit.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., tom. 1, memoratas. M.

(a) Scriptus anno Christi 426 aut 427, aliquanto post Pascha.